

juris, vel facti: dum tamen eorum ignorantia non fuerit...

- 68 Resp. III. Insuper alienanti bona Ecclesiarum, Monasteriorum, Locorumque piorum quorumlibet...

69 Porro ad rigor hujus Paulinae Extravagantis ubique fuerit usi receptus, non est hujus loci investigare...

TITULUS XIV.

De Precariis.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis Rubricarum. 2 Precarium, quot modis sumatur? Et num. seq. Sumitur quandoque pro re precario data, quando-

- que pro contractu: sicut & Commodatum, Depositum, Mutuum, & Pignus. 3 Nomen hujus contractus tripliciter in Jure reperitur...

Quoniam Titulo precedenti dictum est de alienatione rerum Ecclesiasticarum in genere; pergit Compiler Juris Canonici ad agendum de Contractibus in specie...

Quæritur I. Quot modis sumatur Precarium? 2 Resp. I. Precarium (sicut & commodatum, depositum, Mutuum, & Pignus) subinde accipitur pro re precario data, commodata, deposita. Quandoque verò pro ipso contractu Precarii, commodati, Depositi, Mutui, seu Pignoris. Et hoc posteriori modo sumitur hic Precarium, nempe pro ipso contractu Precarii: nam Precarium inter contractus numerari, patet ex l. Contractus ff. de Reg. Jur. Resp. II. Nomen hujus contractus tripliciter in Jure reperitur expressum, videlicet in neutro, Precarium: uti fit cap. 3. h. t. & cit. l. Contractus ff. de Reg. Jur. Et in feminino numeri singularis: ut can. Precaria à nemine. 10. q. 2. ibi: Facere precariam. Et rursum in feminino numeri plu-

pluralis: ut d. can. Precaria à nemine, & can. Precariae de quinquennio 10. q. 2. & cap. 1. ac ult. h. t. Et quamvis Precaria, & Precariae in feminino sumptæ, non videantur differre; ut cum communi notat Abbas cap. 1. n. 3. h. t. contra Hostiensem: nihilo minus contractum Precarii differre à contractu Precariae, sive Precarium, passim fatentur Doctores, & amplius patebit ex dicendis.

4 Quæritur II. Quid fit Precarium, & quomodo differat à Donatione, & Commodato? Resp. I. Precarium rectè definitur ab Ulpiano L. 1. ff. de Precario, dicendo: Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur. Quod genus liberalitatis ex Jure gentium descendit. Hæc ibi. Concordat cap. 3. h. t. ibi: Precarium utendum conceditur, quamdiu patitur (id est non revocatur) qui concessit: solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis. Et in hoc sensu sumitur etiam ly, Precariò, adverbialiter dictum: nam, quod precariò datur, aut accipitur, semper potest revocari, seu repeti.

5 Resp. II. Precarium est species quædam liberalitatis, adeoque contractus gratuitus. Differt tamen à Donatione ex eo, quia qui donat, sic dat, ne amplius recipiat: qui autem precariò concedit, sic dat quasi tunc recepturus, cum sibi libererit precarium solvere, seu revocare. Textus est in cit. L. 1. ff. de Precario.

6 Resp. III. Et si Precarium simile sit commodato, quantum ad hoc, quia etiam is, qui commodat alteri rem suam, sic commodat, ut eam non faciat recipientis, sed post certum tempus, aut completum usum ab eo recipiat, cit. L. 1. ff. de Precario: differt nihilo minus à Commodato in pluribus aliis. Ita communis; & patet tum ex diversitate Titulorum, in quibus tractatur de eisdem; tum inductione. Nam imprimis Commodatum conceditur ad determinatum usum, certumque tempus expressè, vel saltem tacite appositum: ut si commodetur cuiquam equus ad arandum, expleto illo labore debet equus domino suo reddi. Precarium verò non datur ad certum & determinatum usum, neque etiam ad certum tempus: sed quamdiu concedens permiserit, sive Precarium non revocaverit, cap. ult. h. t. junctâ Glossâ y. per conventionem, & Abbate ibid. n. 11. & 12. alisque passim.

7 Nec obstat, quòd etiam Precarium ad certum tempus constitui possit, l. In rebus, & l. Cum precariò ff. h. t. Resp. enim, adhuc notabilem esse differentiam. Tum quia nihilo minus ille, qui precariò ad tempus rogavit, sigito tempore illo rem precariò possidere videtur, nisi revocetur: intelligitur enim dominus, cum patitur eum sic possidere, rursum precariò concedere, cit. l. In rebus. §. fin. ff. eod. Tum etiam, quia non obstante concessione Precarii ad certum tempus; adhuc illud ante hoc tempus (seclusa tamen malitiâ seu dolo) revocari potest: nam pactum contra substantiam contractus non valet, cit. l. Cum Precario, ubi Bartolus in Summario. eod. Secus est in Commodato, quod nec ante determinatum tempus à Commodante revocari potest, nec ultra illud à Commodatario protrahi.

8 Secundo differunt: quia qui rem commodatam recepit, nec civiliter, nec naturaliter possidet: nam rei commodatae possessionem retinet ipsemet commodans, l. Rei commodate ff. Commodati. & §. Possidere Infit. de Interdictis. At verò is, qui precariò rem accepit, naturaliter eam possidet, arg. l. Et haber. junctâ Glossâ y. A possessione ff. de Precario. Pirhing h. t. n. 3.

9 Tertio differunt; quia qui precariò rem accepit, tenetur solummodo ex dolo, & culpa lata, quæ dolo æquiparatur, si rem interire contigerit: non Reiffenstuel Jus Can. Tom. III.

verò ex culpa levi, vel levissima, l. Quæstum est, §. Eum quoque ff. eod. & l. Contractus ff. de Reg. Jur. Secus dicendum de Commodato, quod fit grati recipientis tantum: nam ibi venit etiam præstanda culpa levis, ac levissima, ut dicitur Tit. seq. n. 15. & 16. ac notat Abbas c. Precarium. nu. 14. h. t. Ratio disparitatis assignatur in cit. §. Eum quoque. & Abbate loc. cit. Quia Precarium pendet ex mera liberalitate concedentis, qui potest illud revocare; quoadcunque voluerit: lectus dicendum de Commodato, utpote quod non potest revocari ante completum usum, sive tempus determinatum.

10 Quæritur III. Quid sint Precariae, & quomodo differant à Precario? Resp. I. Precaria, sive Precaria in singulari numero, est contractus Jure Canonico introductus, quo alicui ad preces, ac plerumque causâ remunerationis usufructus alicujus prædii vel alterius rei Ecclesiasticæ immobilis, ad dies vitæ, vel alius certum tempus conceditur: eâ tamen lege, ut singulis quinquenniis renovatio hujus contractus petatur. Ita desumitur ex cap. 1. & seq. h. t. eisque in re communis. Unde Glossa in can. Precaria à nemine. 10. q. 2. y. Precaria; inquit; quòd Precaria sit quidam contractus affinis emphyteusis; sed in hoc differat, quòd de quinquennio in quinquennium renovetur: ut cit. can. Precaria de quinquennio. 10. q. 2. & cap. 1. h. t. ibi: Precaria de quinquennio in quinquennium secundum auctoritatem, & antiquam consuetudinem renovetur. Idem contractus est similis locationi, nisi quòd Emphyteusis, atque Locatio, sicut sub onere præstanti certam pensionem annuam; Precariae verò conceduntur gratis, vel causâ remunerationis.

11 Resp. II. Contractus Precariae, seu Precarium, & contractus Precarii, differunt in pluribus. Primo enim Precarium potest fieri tamen circa res mobiles, quàm immobiles. Precaria verò solum circa res immobiles, arg. can. 2. §. Si wconomis. & can. Precaria à nemine. 10. q. 2. ac notat Pirhing h. t. num. 10.

Deinde Precarium regulariter ad certum tempus non conceditur, sed tamdiu solum, quamdiu plauerit concedenti. Precariae verò vel ad dies vitæ, vel ad aliud certum tempus concedi possunt, quamvis de quinquennio in quinquennium renovari debeant, ne fluxu temporis contingat perire memoriam beneficii, cap. 1. & 3. h. t. Additur tamen Precarium regulariter, propter dicta n. 7.

Tertio, Precarium semper potest revocari pro arbitrio concedentis, L. 1. ff. de Precario. & cap. 3. §. 1. h. t. Dummodò non litam revocetur sine cogente necessitate, ne frustra & illusoriè concessum videatur; atque beneficium alicui præstitum, ipsi damnosum existat: alioquin enim, si fieret intemptiva, & præcipitata precarii revocatio, ex qua sequeretur maximum damnum alterius, obfaret exceptio doli; ut bene notat Doctores cum Abbate in cap. ult. nu. 13. h. t. Siquidem Precarium debet continere liberalitatem, ac beneficium; non autem nocumentum, & injuriam: Adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet, ut inquit Juris-Consultus l. In commodato §. Sicut ff. Commodati.

14 Econtra verò Precariae non possunt revocari, antequam tempus concessionis sit elapsum, cap. ult. §. fin. h. t. ibi: Porro precariae non sunt pro voluntate concedentium revocandæ. Intellige, dummodò Precaria de rebus Ecclesiæ non sit irrationaliter; seu in grave damnum Ecclesiæ facta: alioquin enim revocari possent, ac deberent, nedum à Successore concedentis, cap. 2. h. t. sed etiam ab ipsomet concedente. Engel h. t. n. 5. & alii. Quod ut melius intelligatur,

Quæritur IV. Utrum ad concessionem Precarium 15 requi-

33 Nec culpa Commodatarii fuerit data occasio casui fortuito.

34 35 & 36. Quid juris si res commodata, & remissa, perit culpa, vel etiam dolo Nuntii?

37 Praesertim, si Nuntius ille communiter habeatur pro fideli.

38 Quae actiones oriuntur ex Commodato? Et num. seqq.

Actio directa Commodati, quae? Ibid.

39 Actio contraria Commodati, quae?

40 41 & 42. Et quando competat Commodatario? Et n. praeced.

43 An Commodatarius teneatur potius salvare res commodatas, quam proprias, si utraque ob casum fortuitum salvare nequit? Remissive.

29 **Q**ueritur I. Utrum Commodatarius teneatur de casu fortuito, quo res commodata perit? Resp. Negative: dummodo alter non fuerit expressè conventum, neque is fuerit in mora reddendi, nec sua culpa fuerit data occasio tali casui fortuito. Ita Glossa in cap. un. §. De levissima. & Doctores ib. h. t. & habetur expressum in cit. cap. un. h. t. illis verbis: Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa teneatur: licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. Haec ibi. Concordat textus apertus in l. Si ut certo. §. Nunc videndum. ff. h. t. & l. C. eod. & l. Contractus. ff. de Reg. Jur. cum similibus. Et merito: nam quaelibet res domino suo perit: atqui dominus rei commodatae est Commodator, l. Rei commodatae, ff. h. t. ergo.

30 Additur notanter in Conclusione I. Dummodo alter non fuerit expressè conventum. Nam si pactum intervenit de praesando, seu resarciendo damno, quomodocunque res pereat, tenebitur Commodatarius etiam de casu fortuito; eò, quod periculum rei in se suscepit, seque obligaverit ad quodcumque damnum resarciendum: siquidem contractus ex conventionem legem accipiunt, ut inquit Reg. 85. Jur. in 6. junctâ l. Contractus. ff. eod. Hinc ille, qui sibi bovem commodari postulat, sed contemplatione hostilis incurtionis timendae periculum ejus in se suscepit, per Praesidem Provinciae compellitur conventionem implere, bovemque hostili incursum perentem resarcire; uti habetur cit. l. C. h. t.

31 Additur II. Neque is fuerit in mora reddendi. Quia; si quis tardasset reddere domino rem commodatam post expletum usum ipsius, teneatur etiam de casu fortuito, juxta cit. cap. un. h. t. Nam mora sua cultibus est nociva, ut loquitur Reg. 25. Jur. in 6. cum similibus.

32 Intellige, nisi res eodem modo peritura fuisset apud dominum: quia tunc enim non conferetur domino fuisse causa damni, sique non obligaretur ad ejus recompensationem. Lessius lib. 2. de justit. & jur. cap. 7. n. 28. Navarrus cap. 17. Manual. nu. 80. Sylvester §. Mora. q. 4. Engel tit. de Pactis. §. 7. n. 26. & alii. quamvis Glossa ad cit. Reg. 25. Jur. in 6. §. Mora sua, quoad hoc dissentiat, arg. l. Quod re. ff. de Rebus creditis; & quia fortassis interea dominus rem sibi restitutam vendidisset, sique apud alium perisset. Nisi dicere velis, hunc Glossae opinionem loqui extra casum à Lessio suppositum.

33 Additur III. Nec sua culpa fuerit data occasio tali casui fortuito: prout fieret, si vas argenteum, tibi pro convivio in civitate celebrando commodatum, tecum accepisti peregrè profectus, sique illud in naufragio, vel praedonum incursum perdidisti.

Nam tunc de hoc casu fortuito sine ulla dubitatione teneberis; prout exemplificatur l. In rebus §. 1. ff. h. t. & l. 1. §. Sed & in majoribus. ff. de Actionib. & obligat. juncto cap. un. h. t. Quia videlicet casus ille, ceteroquin fortuitus, tuâ culpa accidit, quia commodatum sine licentia commodantis foras extulisti.

Quaeritur II. Quid juris, si res commodata, & remissa, perit culpa, vel etiam dolo Nuntii? Resp. I. Quando Commodator certum Nuntium mittit cum mandato, ut per eum res commodata remitteretur, periculum est ipsius, sique Commodatarius Nuntio illi forsitan postea cum re commodata aufugienti, vel etiam malitiosè deterioranti, tradens rem commodatam, liberatur. Textus est apertus in l. Eum qui rem. §. Sed & si dum. ff. h. t.

Additur, tamen, cum mandato &c. Nam si Commodator mittit solummodo Nuntium, ut Commodatarius moneret ad remittendum commodatum, non tamen dixit, ut per eum mitteret: tunc Commodatarius huic tradens, non excusatur, si dolo, vel culpa illius Nuntii, vel servi res pereat. Bartolus in cit. l. Eum qui. §. Sed & si dum. vers. Tertio. Quod intellige, si nuntius ille communiter pro fideli, ac idoneo non habeatur, conformiter dicendis n. 37.

Resp. II. Quod si Commodatarius Nuntium elegit, quem voluit, ad remittendam rem commodatam, tunc periculum ejus est adeoque, si malum Nuntium, & cum commutato postea aufugientem, vel illud deteriorantem elegit, ipse teneatur ad damnum praestandum. Textus est in cit. l. Eum qui §. Sed & si dum. ff. h. t. junctâ Leg. seq. hujus rationem reddente, illis verbis: Qui non tam idoneum hominem elegit, ut rectè id (commodatum) perserari possit.

Additur notanter, si malum Nuntium, hoc est non habitum pro fideli, elegit. Nam quando Commodatarius remittit commodatum per Nuntium communiter pro fideli habitum, non cogitur restituere, et si res per nuntii dolum, aut culpam pereat. Textus est in l. Argentum. ff. h. t. ubi dicitur: Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidisset ad te referendum, ut non deberet quis exilimare futurum, ut à quibusdam malis hominibus deciperetur: tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines interceptissent. Id ipsum breviter tradit Bartolus in Summario ibid. dicens. Si res culpa nuntii perdat, perit periculum domini, si remittens non fuit in culpa male electionis. Concordat Navarrus cap. 17. Manual. numer. 185. Azorius part. 3. lib. 7. de Commodato. cap. 8. quest. 1. Zoellius in Comment. ff. h. t. num. 13. citans alios. Siquidem res regulariter domino suo perit: atqui dominus rei commodatae est Commodator, l. Rei commodatae ff. h. t. Accedit, quod Commodatarius regulariter non teneatur de casu fortuito: atqui fuga servorum, puta, cum re commodata aufugientium, sic ut & rapinae, connumerantur inter casus fortuitos, l. Contractus. §. Animalium ff. de Reg. Jur. ergo.

Quaeritur III. Quae actiones oriuntur ex Commodato? Resp. Duæ: una directa, altera contraria. Actio directa Commodati dicitur illa, quae competit Commodanti, ejusque hæredibus, adversus Commodatarium, ejusque hæredes, ut sibi res commodata post expletum usum, seu tempus determinatum restituatur: & si culpa Commodatarii deterior facta est damnum resarciatur. Ita communis; & patet ex l. Si is qui commodatum. & l. In commodato. ff. h. t. junctâ dicitis supra n. 4. & n. 16.

Actio contraria Commodati, & quasi ex opposito respiciens directam, est illa, quae competit Commodatario adversus Commodantem: idque variis ex causis. Primò, si Commodans non patitur Com-

§. I.

De natura, & divisione Depositum, atque obligationibus Depositarii.

SUMMARIUM.

1 Depozitum accipitur & pro re deposita, & pro contractu.

2 Et quid sit? & n. praeced.

3 Dividitur in judiciale, & privatum. Et n. seq.

4 Illud alio nomine dicitur Sequestrium, sive Sequestratio.

5 Aliud genus Depositum judicialis assignatur.

6 Depozitum privatum quid?

7 Est duplex voluntarium, & necessarium.

8 Et quomodo differant. Et n. seqq.

9 Lex magis subvenit illi, qui facit actum ex necessitate, quam qui omnino voluntarie.

10 Quae sint obligationes Depositarii? Et n. seqq.

11 Teneatur hic depositum custodire eò fide & diligentia, qua res proprias custodit. Ibid.

12 Nec potest uti re deposita sine consensu Depositarii.

13 Expresso, vel tacito.

14 Teneatur rem depositam restituere talem, qualem accepit, non fructum &c.

15 Ac eam absque mora sua sponte reddere. Et n. seqq.

16 Depositor potest pro sua voluntate depositum revocare, etiam ante tempus statutum.

17 Contra depositum non admittitur compensatio, vel deductio.

18 Etiam si ex utraque parte aliquid fuerit depositum.

19 Et quid pro Foro conscientiae?

20 Dantur aliqui casus, in quibus depositum non statim restituendum. Et n. seqq.

21 Ut si quid de novo emergat restitutionem impediens. Ibid.

22 Aut ex restitutione depositi timeatur securum damnum &c.

23 Item, quando bona depositoris ob crimen sunt confiscata.

24 Et quando dominus, & fur depositor, in repetenda re concurrunt.

25 Aut fur rem furto sublatam deposuit apud dominum ejus.

26 Ex qua culpa Depositarius teneatur? Et n. seqq.

27 Is teneatur de dolo, & culpa lata: non autem regulariter de culpa levi.

28 Exceptis certis casibus: ut si nominatim convenit, quod culpa levis praestetur.

29 Vel si quis se ipsum deposito obtulit.

30 Aut mercedem pro custodia recepit.

31 Vel requisitus, ut depositum redderet, est in mora.

32 Conventio, ne dolo praestetur in Deposito, Commodato, aliisque contractibus, nullius est momenti.

33 Loquendo de remissione doli futuri: secus de remissione doli praeteriti.

TITULUS XVI.

De Deposito.

Questio I. Quid, & quotplex sit Deposito? Resp. I. Deposito est, quod custodiendum alicui datum est. Ita textus expressus, l. 1. §. 1. ff. Depositum. Quamquam hic Deposito definitur, prout accipitur pro ipsa re deposita: potest enim Deposito accipi dupliciter videlicet pro re ipsa deposita, & pro contractu Depositum, prout in simili de Commodato dictum est supra Tit. praeced. n. 3.

Et quidem Deposito sumptum pro contractu, aliud non est, quam Contractus, quo aliquid alteri gratis

Postquam actum est de Precario & Commodato, quae sunt contractus in gratiam solius accipientis inventi, sequitur nunc explicandum Deposito, veluti contractus vice versa in gratiam solius tradentis, seu deponentis adinventus. Pro cuius clariori intelligentia sit,